



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Varij effectus prædestinationis numerantur. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Neque peccatum, neque permissionem illius esse effectum prædestinationis, cap. 2.

Iustificatio & merita, quæ peccato mortali impediuntur, quodammodo sunt effectus prædestinationis, quodammodo non, cap. 3.

Quam bona naturalia sint effectus prædestinationis, c. 4.

CAPVT I.

Varij effectus prædestinationis numerantur.

Quamuis superius probatum sit, prædestinationem nostram incipere à vocatione, quæ liberum consensum præcedit, variique effectus illius hæcenus sunt à nobis enumerati; maioris tamen claritatis gratia omnes hic in vnum colligere, aliquos etiam notare, qui falso inter eos recenseri solent, operæpretium duximus. Primo quidem Durandus in 1. dist. 41. quæst. 2. num. 10 affirmat glorificationem, hoc est, beatitudinem non esse effectum prædestinationis, sed finem illius: cuius sententia in hac reprobanda non est. Iam enim supra disp. 91. cap. 4. ex doctrina Patrum contra ipsum demonstrauimus, effectibus prædestinationis beatitudinem esse annuerandam. Id quod nonnulli conantur deducere ex illo. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit. & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem & iustificauit, illos & glorificauit.

Ad Rom. 8.

Pauli lectus exponitur. Hieronymus. Gregorius. Ambrosius. Theodoretus. Theodolus.

2.

Alia Patrum expositio. Origenes. Augustinus. Eusebius.

Bonauentura. Vocationem, & iustificationem qui negant esse effectus prædestinationis.

Ratio.

Verum inde parum probari potest. Nam Hieronymus. Gregorius. Chrysostomus. Theodoretus & Theodolus Episcopus Cæsariensis, qui habetur to. 6. Biblioth. sacre, eo loco per glorificationem intelligunt, non alterius vitæ beatitudinem, sed gloriam presentis, quam Deus iustis suis præparauit, efficiens eos filios Dei consonat etiam alia lectio eiusdem vulgata in emendato codice, quæ habet, Magnificabit, & verbum Græcum *ἐξομολογᾷ*, id potius dea notat, quam Beatum facere, & *ἐξομολογᾷ* enim significat celeberrime, magnifico, glorifico, hoc est, magnum, & gloriosum prædico; hic autem ponitur ab Apostolo, ut significet Deum amicos suos non tunc verbis glorificasse, & celebrasse, quam re ipsa gloriosos, & celebres reddidisse: id quod ego intellexerem fecisse non sola adoptione filiorum Dei, hanc enim expressit, cum dixit, Iustificauit; sed etiam passionibus, & ærumnis toleratis, quibus filios suos iam iustificatos clariore effecit, ut notauit disp. 91. cap. 18. De gloria autem beatitudinis hunc locum intellexerunt Orig. & Aug. lib. 1. de præd. Sancti c. 17. & ser. 17. de verb. Apostoli. atque Fulgent lib. 1. ad Monimum, capit. 11. ut igitur probemus gloriam alterius vitæ esse effectum prædestinationis, sufficiant nobis ea, quæ diximus disputat. 91. cap. illo 4.

Secundo de vocatione docuit Bonau. non esse effectum prædestinationis, sed prædestinationem à iustificatione incipere, ideoque causam aliquam, & meritum congruum prædestinationis concessit, tamen non ex nobis, sed ex gratia vocationis Dei. Rursus Gabriel putauit, nec vocationem, nec iustificationem esse effectus prædestinationis, sed solam alterius vitæ beatitudinem. Vtriusque vero ratio esse potest; quia effectus prædestinationis ille est, qui non est communis prædestinatis, & reprobis: at qui multis reprobis communis est vocatio, & iustificatio, ergo vtrique non ad prædestinationem, sed ad communem prouidentiam pertinet; vel saltem, ut contendit Bonau. ab ea so-

lum iustificatione prædestinatio sumit exordium, quæ nunquam interruptur peccato, sed cum perseverantia coniungitur.

Nihilominus tamen certissimum est, prædestinationem incipere à vocatione prima, quam Deus operante, præueniente, aut excitante, ut contra Gabrielem, & Bonau. disp. 91. cap. 3. & 5. ex doctrina Patrum abunde probauimus. Neque quidquam obest, quod iustificatio communis sit reprobis, & prædestinatis: nam ea, quæ nunquam peccato amittitur, prædestinata peculiaris est: hæc ergo saltem, ut docuit Bonau. erit peculiaris effectus prædestinationis; ac proinde frustra Gabriel putauit, solam beatitudinem esse effectum illius. Quod si iustificatio, quæ perseverantia perficitur, prædestinationi assignatur, ut effectus peculiaris illius, sequitur etiam contra Bonau. vocationem aliquam, quæ sit in nobis absque nostro consensu, & sine illo initio ex nobis præcedenti, ad prædestinationem quoque pertinere; eam videlicet, qua homo incipit moueri, & disponi ad iustificationem vltimam, quæ nunquam peccato est interruptenda.

Porro ut aliqua vocatio sit effectus peculiaris prouidentie, & prædestinationis duo sunt necessaria. Alterum est, ut ea deur cum ea scientia, & notitia, quæ cognoscatur effectum habitura in nobis: nam si Deus, antequam conferre decreuit hanc, vel illam vocationem, non nouit, qualem effectum esset productura, non debet censeri peculiaris gratia Dei, hæc vocatione præuenire voluntatem potius, quam alia. Si enim nonnam cognouit Deus, quid ea vocatio futura esset in me, si mihi daretur, donec absolute decreuit eam mihi donare: sequitur priorem fuisse voluntatem vocandi me illa vocatione, quam scientiam, quæ nouit consensum meum, & effectum, quem in me erat habitura, & ita non maiorem mihi gratiam fecit, præueniens me illa vocatione, quam alteri, quem præuenit æque intensa, & forsitan intensiori, in quo nihilominus non erat effectum habitura: imo vere maiorem ei gratiam contulisset, si intensius ipsum vocasset. Nam maior, & minor gratia vocationis tunc non esset sumenda ex maiori, aut minori congruitate cum arbitrio ad eliciendum consensum; hæc enim sine scientia conditionalis veritatis rationem gratiæ habere non potest, sed ex maiori aut minori intensione vocationis. Ille namque, qui ignorat, quem effectum in me sit habitura vocatio, & nescit congruitatem illius cum meo arbitrio, nullam mihi gratiam facit ex eo, quod vocat ea vocatione, quæ sit effectum habitura. Id enim, quod ignoratio datur, rationem domini, aut gratiæ habere nequit. Quocirca Catherinus, & alij, qui negant scientiam hanc conditionalis veritatis, aut dicunt futura solum cognosci, quæritus iam sunt secundum rem in æternitate presentia, defendere non possunt peculiarem gratiam præuenientem, & operantem in vno potius, quam in alio, sed seruare eadem intensione vocationis afferere debent, omnes esse æquales vique ad consensum: quod quam sit à doctrina Augustini & veritate alienum, disp. 98. ostendimus. Scientia autem futurorum sub conditione satis à nobis probata est disputat. 67.

Alterum est: ut vocatio sit effectus prædestinationis, requiritur, eam ita esse connectam cum

Neque peccatum, neque permissionem illius esse effectum
prædeterminationis.

Nullus est Catholicus, qui ignoret, peccatum non esse effectum prædeterminationis, etiam si prædestinatus occasione ex eo sæpius capiat suę salutis. Nam cum Deus causa peccati esse nequeat, ut contra Lutherum desinitur, in Conc. Trid. sessione 6. canone 7. & nos latius ostendimus 1. 2. qu. 79. i. artic. 1. efficitur, ut Deus peccatum nulla ratione prædestinare possit. Non solum autem peccatum ipsum quatenus rationem malitiæ moralis habet, non potest se effectus prædeterminationis; sed neque actus ipse peccati secundum esse naturale; nam quamvis hoc modo sit effectus diuinæ voluntatis, quem in tempore producit; inter prædeterminationis tamen effectus connumerari non debet: sola enim opera gratiæ per Christum, ut infra dicemus, prædeterminationi ascribenda sunt: actus autē illi non est opus gratiæ. Deinde eadem ratione, qua permissio non est effectus prædeterminationis, ut illico videbimus, substantia etiam actus peccati esse nequit. Caterum peccata etiam secundum rationem malitiæ moralis obiecta sunt, seu materia, circa quam diuina prædestinatio, versatur eo modo quo versatur poenitentia. Commissio enim semel peccato, præparat Deus in præscientia sua vocationem, qua tangat cor hominis, ut ad poenitentiam eum conuertat, atque ipsa peccatum detestetur.

Peccatum etiam secundum esse naturæ, non est effectus prædeterminationis. Concilium Trident.

8. *Esse potest materia, circa quam etiam ratione malitiæ.*

De permissione peccati confirmans aliqui, Ratio eorum.

S. Thomas, Anselmus.

Reiicitur sententia, 1. mo ex Aug.

9.

*Secundo re-
solvitur.*

Actus

aliis effectibus usque in finem vitæ, ut in ipsam glorificationem effectum habeat. An vero ita continuari cum aliis debeat, ut non interrumpatur peccato aliquo, seq. cap. disceremus. Quare, ut vocatio aliqua, vel consensus ex illa sit effectus prædeterminationis, non debet intelligi, in eodem instanti secundum rationem ita esse in prædestinato, vel à Deo præparari, ut tunc in ipsam beatitudinem aliquid efficiat, sed satis est, si deinde ita cum aliis re ipsa continetur, ut omnia simul auxilia in beatitudinem operentur.

Instantia vero rationis secundum causam, & effectum, & iuxta ordinem rerum inter se in ipsa quoque prædeterminatione assignari debent, ut primo intelligatur à Deo præparari vocatio ad fidem, deinde consensus, & ipsa fides. Denique per singula opera, prout iustificationem ipsam ordine causalitatis præcedunt, idem ordo seruandus est; nunquam tamen secundum diuersitatem, & successione temporum hæc instantia sunt assignanda. Atque omnes effectus in vniuersum ad duos reducere possemus. Duo enim sunt, quæ gratia in nobis operatur; vnum sine nobis, quales sunt vocationes, quæ sunt gratiæ præuenientis, & operantis; alterum vero nobiscum, quales sunt consensus, quos ipsi vocationibus per singula opera præbimus; & ad gratiam cooperantem, & comitantem pertinet; quibus duo instantia rationis propter ordinem causæ, & effectus debent constitui. Deinde per quatuor alios effectus præcipuos hi duo diuidendi sunt, nempe per fidem, iustificationem, perseuerantiam, & glorificationem; quare in singulis horum per varia opera adhuc duos illos præcipuos, nempe vocationem & consensum oportet multiplicari. Instantia tamen rationis ex solo ordine causæ, & effectus inter res ipsas debent constitui, ut disput. 28. cap. 3. ostensum est.

Ex quibus colligitur id, quod initio dicebamus, nimirum, ut effectus aliquis prædeterminationi ascribatur, necessarium non esse ut in eodem instanti, in quo prædestinatur, proxime habeat effectum in beatitudinem, sed satis esse, si cum serie aliorum ad illius consequutionem aliquo modo operetur: alioqui si in eodem instanti deberet proxime circa illam effectum habere, possemus dare causam prædeterminationis. Nam primus effectus illius in nobis esset, in gratia perseuerare, hoc est, vltimo aliquo bono opere vitam in gratia finire. Huius autem dari potest causa, licet non totius perseuerantiæ, quæ à primo auxilio post iustificationem sumenda est: etenim oratione facta ex auxilio gratiæ obtinere à Deo possumus iustificationem, deinde cursum vitæ in gratia iustificationis peragere. Aduerendum tamen est, non minus fuisse Patres sollicitos de gratia, quæ datur reprobis, quam de ea, quæ datur prædestinatis, & tandem in ipsam gloriam operatur: non inquam sollicitos fuisse; ita ut nullius gratiæ daretur causa ex parte nostra: est enim vtriusque eadem ratio, quia gratia non esset gratia: Eo autem solo differunt, quo gratia & misericordia, quæ reprobis pro aliquo tempore, & opere datur ante mortem, prædestinatis per aliquam vitæ periodum usque ad mortem conceditur. Prædestinatorum itaque miseretur Deus vsquequo de hac vita decedant, reproborum vero pro aliqua tantum parte vitæ, vel opere aliquo ante mortem.

Deinde etiam si permissio peccati esset effectus gratiæ Dei, non poterat ioter effectus prædeterminationis recenseri: nam, ut aliquid sit effectus